

342 (Q. 202) De Antiphonis et Versibus

cum aliqua variatione tantum in fine Antiphonæ ; dicitur enim : *Euge serve bone.... te constituam, intra in gaudium Domini tui* ; ratione hujus variationis censentur istæ Antiphonæ diversæ, ita ut una pro Officio, altera pro Commemoratione usuvenire possit.

2º In Communi Confessoris Pontificis, ad *Magnificat* in secundis Vesperis, Antiphona est : *Amavit eum Dominus, et ornavit eum : stolam gloriae induit eum, et ad portas paradisi coronavit eum* ; in primis Vesperis ejusdem Communis Versus sonat etiam : *Amavit eum Dominus, et ornavit eum. R. Stolam gloriae induit eum* ; hic Versus cum suo Responsorio non est nisi major pars Antiphonæ præcedentis in duas partes divisa.

Accidit aliquando, ex regulis infra exponendis, ut hæc Antiphona et hic Versus in eadem Hora pro Commemorationibus debeat sumi.

Auctores dicunt Antiphonam *Amavit eum*, et Versum *Amavit eum* adhiberi posse pro diversis Commemorationibus.

Olim disputabant auctores utrum et Antiphona et Versus dici possent pro eadem Commemoratione ; sed ex hodierna Commemorationum disciplina hujusmodi occursus possibilis non amplius est ; attamen juvat hic notare quod illi auctores qui negabant Antiphonam *Amavit eum*, et Versum *Amavit eum* simul pro eadem Commemoratione dici posse, id probabant ex Rubrica speciali Breviarii, in Vesperis Sabbati infra Octavam Epiphaniæ, ubi, si dicta fuerit Antiphona *Omnes de Saba etc.*, pro Vesperis diei quintæ infra Octavam, præscribitur dicendum esse Versum *Adorate Deum etc.*, loco Versus *Omnes de Saba*, qui aliis diebus dicitur.

Addi potest quod, in alio euidem casu, ubi non agitur de Commemoratione, S. Rituum Congregatio ita quoque faciendum disponit : etenim, si recitatur Officium votivum de SS. Angelis, Feria II, tempore Paschali, accidit ut Antiphona secundi Nocturni, quæ unica est pro hoc Nocturno, scilicet : *Ascendit fumus aromatum, etc.*, eadem sit quam Versus hujus Nocturni, qui item est : *Ascendit fumus etc.* Decreto 6 Februarii 1892 (n. 3764, ad 16), S. Rituum Congregatio rescripsit, loco primæ Antiphonæ in casu usurpandam esse alteram, nempe secundam hujus Nocturni : *Immittet Angelus etc.*

3º Pro SS. Doctoribus, dicitur in utrisque Vesperis ad *Magnificat* Antiphona *O Doctor optime, etc.* ; quando duo Officia SS. Doctorum concurrunt, tunc, ne bis di-

De Antiphonis et Versibus (Q. 203) 343

catur Antiphona *O Doctor*, pro eo cujus fit Commemoratio dicitur Antiphona ad *Magnificat* ex Vesperis de Communi vel Confessoris Pontificis, vel Papæ, vel Confessoris non Pontificis, pro qualitate S. Doctoris cujus dicitur Commemoratio.

Exempla : Anno 1899, diebus 10, 11 et 12 Aprilis, in Diecesi Mechlinensi dicenda erant successive Officia duplia minora trium SS. Doctorum, S. Joannis Damasceni Confessoris, S. Leonis Papæ et Confessoris, et S. Isidori Episcopi et Confessoris ; tres in suis primis Vesperis habuerunt ad *Magnificat* Antiphonam *O Doctor* ; sed pro Commemoratione in secundis Vesperis dicta fuit pro S. Joanne Damasceno Antiphona *Hic vir despiciens*, de Communi Confessoris non Pontificis, et pro S. Leone Antiphona *Dum esset*, propria pro Summis Pontificibus in Communi Confessoris Pontificis ; S. Isidorus vero, qui concurrebat cum sequenti S. Hermenegildo Martyre, in utrisque Vesperis habuit Antiphonam *O Doctor*. — Similes Concurrentiae reperiuntur in Directorio Mechlinensi anni 1902, diebus 9, 10 et 11 Aprilis ; anni 1903, diebus 20 et 21 Aprilis ; anni 1904, diebus 11 et 12 Aprilis.

Q. 203. Indica quo modo et ordine mutari debent Antiphonæ et Versus, quando in aliquo Officio occurruunt unum vel plura Festa simplicia, quorum Commemorations sunt sumenda de eodem Communi quod dicitur pro Officio.

R. 1º Quando in aliquo Festo duplice vel semiduplici occurrit Festum simplex Sancti qui ejusdem est conditionis quam ille cujus Officium dicitur, tunc, quia Antiphona et Versus Festi simplicis, de quo fit Commemoratio in primis Vesperis et Laudibus, sumenda sunt ex eodem Communi, unde sumpta sunt in Officio diei, Antiphona et Versus Festi simplicis variantur, ita ut in Vesperis sumantur ex Laudibus, et in Laudibus ex primis Vesperis ejusdem Communis. (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 8.)

Exemplum : Die 9 Februarii, celebratur in Diecesi Mechlinensi Festum duplex S. Gudulæ, Virginis ; eadem die celebratur Festum simplex S. Apolloniæ, Virginis et Martyris, cuius fit tantum Commemoratio in Officio S. Gudulæ. Utraque Sancta habet Officium de Communi Virginum. In primis Vesperis S. Gudulæ dicitur Versus *Specie tua*, et ad *Magnificat* Antiphona *Veni, sponsa Christi* ; eadem Antiphona, idemque Versus deberent dici pro Commemoratione S. Apolloniæ : ideo mutantur hæc, et dicitur Antiphona *Simile est regnum, et Versus*

Diffusa est, ex Laudibus de Communi Virginum. In Laudibus vero Officii S. Gudulæ cum jam dicta sint Versus Diffusa est, et Antiphona Simile est regnum ad Benedictus, pro Commemoratione S. Apollonie dicuntur Antiphona Veni, sponsa Christi, et Versus Specietua, ex primis Vesperis de Communi Virginum.

2º Quando plures Commemorations ex eodem Communi sumendæ sunt, sequens norma tenenda est, quam posuit S. Rituum Congregatio per Decretum 27 Junii 1899 (n. 4042, ad 5) : « Quando plures Commemorations occurunt facienda de eodem Communi (nisi aliter in Breviario notetur) ad Vespertas, dictis Antiphona et ꝑ. de 1 et 2 Vesperis, altera Commemoratio fit per Antiphonam de Laudibus et ꝑ. ex 2 Nocturno, ultima vero per primam Antiphonam et ꝑ. ex 3 Nocturno. — Ad Laudes vero, dictis Antiphona et ꝑ. de Laudibus, prima Commemoratio fit per Antiphonam et ꝑ. de 1 Vesperis, altera vero per Antiphonam de 2 Vesperis et ꝑ. ex 2 Nocturno, tertia tandem per primam Antiphonam et ꝑ. 3 Nocturni. »

In nostro Kalendario Diœcesis Mechliniensis, si habetur aliquando occasio applicandi regulam priorem, nulla datur pro applicatione alterius hujus regulæ, in quantum quæstio agitur, uti posita fuit, de pluribus Festis simplicibus Sanctorum qui sunt ejusdem conditionis quam ille cuius Festum duplex vel semiduplex celebratur, et quorum Commemoratio est facienda in Occurrentia ; ad summum applicanda venit aliquando in Concurrentia.

Exemplum : 19 Julii celebratur Festum duplex minus S. Vincentii a Paulo, Confessoris ; et die sequenti, 20 Julii, Festum duplex minus S. Hieronymi Æmiliani, Confessoris ; supponitur hac die 20 Julii occurrere insuper Festum simplex Sancti N. : Vesperæ diei 19 Julii dicuntur de S. Vincentio, a Capitulo de sequenti, cum Commemoratione præcedentis et Sancti N. — Pro S. Hieronymo dicuntur Versus *Amavit eum*, et Antiphona *Similabo eum*, ex primis Vesperis de Communi ; pro S. Vincentii Commemoratione dicuntur Antiphona *Hic vir despiciens*, et ꝑ. *Justum deduxit*, ex secundis Vesperis de Communi ; pro Sancto N. dicitur Antiphona *Euge serve bone*, ex Laudibus de Communi, Versus vero ex iisdem Laudibus non potest sumi, quia idem est qui notatur pro secundis Vesperis, scilicet *Justum deduxit*; ideo dicitur Versus *Os justi*, qui in Communi describitur ad secundum Nocturnum ; si quæras quare recurratur

ad secundum Nocturnum, respondeatur Versum primi Nocturni eudem esse qui dictus fuit ad primas Vespertas, nempe *Amavit eum*. — Quodsi et altera simplicis Festi Sancti Confessoris 20 Julii occurrentis, Commemoratio foret dicenda, sumerentur Antiphona prima tertii Nocturni, scilicet *Domine iste sanctus*, et Versus ex eodem Nocturno tertio, scilicet *Lex Dei ejus* ; et si iterum quæras quare recurratur ad tertium Nocturnum, respondet quod ibi tantum reperitur Versus de Communi nondum dictus, et quia Versus sumitur ex hoc tertio Nocturno, ita sumitur Antiphona prima ex eodem Nocturno, unde Versus sumitur, ne Antiphona longius a Versu sit quærenda, si, ut ordo postulare videtur, sumeretur prima ex primo Nocturno. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 705, et XVII, 1903, pag. 550.)

NOTA. Exempla hujusmodi casuum etiam habentur in Breviario in secundis Vespertas S. Hilarii, 14 Januarii ; et in primis Vespertas S. Justini, 14 Aprilis, pro tempore Paschali ; necnon in Laudibus S. Caroli, 4 Novembris. In his casibus tamen, propter specialia motiva (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 707), aliter jam in Breviario ordinantur Versus pro Commemorationibus. Sunt exceptiones propter quas, tam in Rubrica quam in Decreto, ad normæ sequendæ expositionem adduntur verba : nisi aliter signetur, vel notetur. Sufficiet hæc indicasse.

Q. 204. Indica quo modo mutari debent Antiphonæ et Versus, quando in Officio alicujus Sancti facienda est Commemoratio de die infra Octavam alterius Sancti ejusdem conditionis, vel pro qua Commemoratione dantur iidem Versus.

R. Prænotatur quod hæc Quæstio practica est in pluribus locis particularibus, pro celebratione nempe Patroni loci vel Tituli Ecclesiæ ; aliqui ex Sanctis Patronis aut Sanctis Titularibus habent suum Officium proprium, Antiphonas ergo proprias, Versus quoque aliquando proprios, ex. gr., S. Martinus (cfr. Q. 25) ; hæc assumuntur per totam Octavam, et tunc difficultas nulla datur ; sed plerique ex Sanctis non habent Officium proprium, et tunc per totam Octavam eorum Commemoratio sumenda est de Communi ; unde identitas dari potest, occurrente Festo alicujus Sancti qui est ejusdem conditionis.

In memoriam revocatur quod dies infra Octavam unicas Vespertas tantum habet, in quibus omnia dicuntur ut in secundis Vespertas Festi (QQ. 102, et 183) ; at tamen in casu identitatis erit recurrentum ad primas Festi Vespertas.

Respondetur ad Quæstionem : I. In Occurrentia, in primis Vesperis Officii occurrentis sumuntur pro Commemoratione Octavæ Antiphona et Versus ex secundis Vesperris.

In Laudibus sumuntur Antiphona et Versus ex primis Vesperris de Communi.

In secundis Vesperris sumuntur Antiphona ex Laudibus, et Versus ex primis Vesperris de Communi.

NOTA. Quoad Antiphonam in casu dicendam pro Commemoratione Octavæ in Laudibus variae datae fuerunt solutiones, et quidem Decreta non consentiebant. Expunctis contrariis, in nova editione Collectionis Decretorum, anni 1898, retentum fuit sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « Si pro facienda in Laudibus Commemoratione alicuius diei infra Octavam sumenda sit Antiphona ex eodem Communi unde sumpta est pro Officio, quæratur : Utrum in hoc casu servanda sit Rubrica Breviarii Romani Tit. IX, de Commemorationibus, num. 8, ut scilicet sumatur ex primis Vesperris ; an vero sumi debeat ex secundis Vesperris quia dies infra Octavam non habet primas Vesperras ? » S. Congregatio censuit respondendum : « Affirmative, quoad primam partem ; Negative, quoad secundam. » (Decret. 21 Junii 1710, n. 2205, ad 2, antiq. 3827, ad 3.) Quod Decretum confirmatum reperitur sequenti : Ad dubium : « An, occurrente Festo Confessoris non Pontificis infra Octavam alterius Festi pariter Confessoris non Pontificis, pro Commemoratione Octavæ in Laudibus, desumenda sit Antiphona ex secundis ; vel potius ex primis Vesperris ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative, quoad primam partem ; Affirmative, quoad secundam. » (Decret. 28 Martii 1775, n. 2503, ad 2, antiq. 4378, ad 11.) — Hæc duo Decreta consentiunt cum Decreto generali 27 Junii 1899 (n. 4042, ad 5) citato Q. 203, 20.

II. In Concurrentia duorum Sanctorum qui sunt ejusdem qualitatis, cuius est Sanctus de quo dici debet Commemoratio pro die infra ejus Octavam, pro hujus Commemoratione sumuntur in his Vesperris Antiphona ex Laudibus, et Versus ex secundo Nocturno Matutini.

Eadem observanda sunt, quando Officium et Commemoratio sunt de Sanctis Confessoribus, quorum unus alterve esset Pontifex, tertius non Pontifex ; quia, ad Vesperras et ad Laudes, Versus in utroque horum Communi sunt iidem.

Servatur itaque in omnibus norma proposita a S. Rituum Congregatione per Decretum citatum sub 2º ad Q. præcedentem. (Decret. 27 Junii 1899, n. 4042, ad 5.)

Exemplum : S. Amandus, Confessor et Pontifex, cuius Festum in Dioecesi Mechlinensi celebratur 6 Februarii, Patronus est plurium locorum, Titularis nonnullarum Ecclesiarum ; celebratur ibi ejus Festum ritu duplice i classis cum Octava.

Die 11 Februarii, celebratur in Dioecesi Mechlinensi Festum duplex S. Vedasti, Episcopi et Confessoris, et die 12 Februarii Festum duplex S. Titi, Episcopi et Confessoris.

Die 10 Februarii, dicuntur a Capitulo primæ Vesperræ S. Vedasti, qui habet itaque Versum *Amavit eum etc.*, et ad *Magnificat* Antiphonam *Sacerdos et Pontifex, etc.*, ex primis Vesperris de Communi Confessoris Pontificis ; facta dein Commemoratione præcedentis, nempe S. Scholasticæ, Virginis, facienda est quoque Commemoratio diei infra Octavam S. Amandi, pro qua dicuntur Antiphona *Amavit eum etc.*, et Versus *Justum deduxit etc.* ex secundis Vesperris.

Die 11, in Laudibus Officii S. Vedasti dicuntur pro hoc Sancto Versus *Justum deduxit etc.*, et ad *Benedictus* Antiphona *Euge serve bone etc.*, ex Communi Confessoris Pontificis ad Laudes ; pro Commemoratione diei infra Octavam S. Amandi dicitur Antiphona *Sacerdos et Pontifex*, et Versus *Amavit eum*, ex primis Vesperris ejusdem Communis. (Animadvertere hic juvat, quod plerique auctores antehac proponebant, ex consideratione quod dies infra Octavam non habet Vesperras primas, dicendam esse ad Laudes Antiphonam *Amavit eum*, ex secundis Vesperris, et Versum *Elegit eum* ex secundo Nocturno de Communi ; — non enim poterat dici cum hac Antiphona *Amavit eum* Versus *Amavit eum* ex primis Vesperris, ut dictum fuit Q. 202, Nota 2º ; — consultius nunc judicavit et commodius S. Rituum Congregatio dicere Commemorationem diei infra Octavam, sicut supra proponitur, nempe ex primis Vesperris de Communi.)

In secundis suis Vesperris S. Vedastus concurrit cum sequenti Festo S. Titi ; uterque est Confessor et Pontifex, et habet Officium de Communi ; facienda est quoque in his Vesperris Commemoratio de die infra Octavam S. Amandi, Episcopi et Confessoris. In his Vesperris S. Titus habet Versum *Amavit eum*, et Antiphonam *Sacerdos et Pontifex*, ex primis Vesperris ; S. Vedastus habet Antiphonam *Amavit eum*, et Versum *Justum deduxit*, ex secundis Vesperris ; pro Commemoratione S. Amandi sumitur Antiphona *Euge serve bone*, ex Laudibus, et quia Versus Laudum jam dictus fuit pro secundis Vesperris S. Vedasti, est enim idem, quæratur alias Versus, ex secundo Nocturno Matutini, nempe *Elegit eum Dominus etc.*

Infra eamdem Octavam occurunt duo Sancti Confessores non Pontifices, S. Romualdus, Abbas, 7 Februarii ; et S. Joannes de Matha, Confessor, 8 Februarii ; utriusque Festum est duplex, et in eorum Officio facienda est Commemoratio de die infra Octavam S. Amandi.

In Laudibus eorum Officii dicitur Versus *Justum deduxit*, et ad *Benedictus* Antiphona *Euge serve bone* ; pro Commemoratione S. Amandi sumitur Antiphona ex Laudibus de Communi

Confessoris Pontificis, scilicet *Euge serve bone* (de qua, quoad identitatem, dictum fuit Q. 202, Nota 1^o), et Versus ex primis Vesperis *Amavit eum*.

In Vesperis secundis S. Romualdi, dicitur iterum pro Commemoratione S. Amandi Versus *Elegit eum Dominus*, ex secundo Nocturno Matutini, ut supra in Concurrentia SS. Vedasti et Titi; quia Versus utriusque Communis sunt iidem.

Q. 205. Indica quo modo mutari debent Antiphona et Versus pro Commemoratione S. Titularis inter Suffragia, quando hæc dicenda est in Officio semiduplici alicujus Sancti qui est ejusdem conditionis, et qui idem habet Officium de Communi.

R. Inter Suffragia seu Commemorations communes, quæ dicuntur in Officio semiduplici et simplici, extra Octavas et quædam anni tempora (cfr. Q. 46), dicitur Commemoratio Titularis Ecclesiæ, de qua speciatim dicitur in QQ. 229, 230, 231. Pro hac Commemoratione communi Titularis Ecclesiæ, nisi Titularis habeat Officium proprium, sumuntur e Communi, pro Laudibus Antiphona et Versus ex Laudibus, et pro Vesperis Antiphona et Versus ex secundis Vesperis.

Si dicendum est hujusmodi Suffragium in Officio alicujus Sancti qui est ejusdem conditionis, tunc in primis Vesperis Officii sumuntur pro Suffragio Antiphona et Versus ex secundis Vesperis de Communi.

In Laudibus sumuntur Antiphona et Versus ex primis Vesperis.

In secundis Vesperis Officii sumuntur Antiphona ex Laudibus, et Versus ex primis Vesperis.

Servatur itaque iterum, sicut pro casibus præcedentibus, norma proposita a S. Rituum Congregatione per Decretum citatum sub 2^o ad Quæstionem 203. (Decret. 27 Junii 1899, n. 4042, ad 5.) Decretum hoc enim generale est eo sensu quod se extendit ad omnes casus in quibus Commemorations plures ex eodem Communi occurrent faciendæ, sive sint de Festis simplicibus, sive de diebus infra Octavam, sive de Suffragiis.

Exemplum: S. Lambertus, Martyr et Pontifex, cujus Festum celebratur in Diœcesi Mechlinensi 17 Septembris, est Titularis plurium Ecclesiarum; ejus Suffragium igitur dicendum est in quibusdam Officiis ritus semiduplicis et simplicis.

Die 28 Septembris, occurrit Festum semiduplex S. Wenceslai, Dicis et Martyris, cuius dicuntur primæ Vesperæ a Capitulo; in his dicuntur pro ipso Versus *Gloria et honore*, et Antiphona *Iste sanctus*, ex primis Vesperis de Communi unius Martyris; pro Suffragio S. Lamberti dicuntur Antiphona *Qui vult venire*, et Versus *Justus ut palma*, ex secundis Vesperis.

In Laudibus Officii S. Wenceslai dicuntur pro ipso Versus *Justus ut palma*, et ad *Benedictus* Antiphona *Qui odit animam*, ex Communi unius Martyris, ad Laudes; pro Suffragio S. Lamberti dicuntur Antiphona *Iste sanctus*, et Versus *Gloria et honore*, ex primis Vesperis.

Secundæ Vespere de S. Wenceslao non dicuntur ratione Festi duplicitis 2 classis Dedicationis S. Michaelis Archangeli; seposito hoc Festo, et supposito alio Festo semiduplici, pro S. Wenceslao dicerentur in secundis suis Vesperis Antiphona *Qui vult venire*, et Versus *Justus ut palma*; et pro Suffragio S. Lamberti diceretur Antiphona *Qui odit animam*, ex Laudibus, et Versus *Gloria et honore*, ex primis Vesperis de Communi, quia Versus Laudum idem est ac in secundis Vesperis, et dictus jam fuit pro S. Wenceslao.

NOTA. Suffragium S. Joseph, Sponsi B. M. V., habet ad Laudes Versum *Os justi*; in Ecclesiis quarum Titularis est Sanctus Confessor non Pontifex, ex. gr., S. Franciscus Assisiensis, posset fieri quod ex variis Commemorationibus Confessorum non Pontificum faciendis in Laudibus perveneretur ad Versum *Os justi*, sumendum ex 2 Nocturno; quia hic Versus tunc jam dictus fuit pro S. Joseph, non potest resumi pro Suffragio Titularis; in casu diceretur cum Antiphona *Hic vir despiciens*, ex Laudibus, Versus *Lex Dei ejus*, ex tertio Nocturno.

Q. 206. Quo modo mutari debent Antiphona et Versus, quando ex eodem Communi, unde sumpta sunt in Officio diei, sumenda sunt pro Commemoratione Festi redacti ad instar Simplicis?

R. Distinguendum est: I. Si Festum ad instar Simplicis recolendum Commemorationem habet in utrisque Vespere, primis et secundis, et in Laudibus, tunc pro ejus Commemoratione, nisi aliter in Breviario signetur:

In primis Vespere, Antiphona et Versus sumuntur e secundis Vespere.

In Laudibus, Antiphona et Versus sumuntur e primis Vespere.

350 (Q. 206) De Antiphonis et Versibus

In secundis Vesperis, Antiphona sumitur e Laudibus, et Versus e primis Vesperis.

NOTA. Animadvertere juvat quod regula proposita pro his Commemorationibus, inserta Rubricis generalibus Breviarii reformatis vi Decreti 11 Decembris 1897 (Tit. IX, n. 8), differt a regula proposita in præcedenti Quæstione 203, pro variatione in Vesperis Festi simplicis Antiphonæ et Versus, quæ ibi sumenda præscribuntur ex Laudibus; profecto ea de causa, quia Festum simplex unicas Vespertas tantum habet, nempe primas.

Exemplum: Festum semiduplex S. Anacleti, Papæ et Martyris, celebratur 13 Julii; in Diœcesi Mechlinensi celebratur Dominica II Julii Festum S. Liberti, Martyris, duplex 2 classis.

Anno 1902, et quoties Littera Dominicalis est E, hæc Dominica occurrit in diem 13 Julii; Officium dicitur de S. Liberto, et fit in utrisque Vesperis, et in Laudibus Commemoratio Festi S. Anacleti, ad instar Simplicis redacti. Uterque Sanctus habet Officium ex eodem Communi unius Martyris.

S. Libertus habet ex hoc Communi, in primis Vesperris Versum *Gloria et honore*, et Antiphonam *Iste sanctus*; in Laudibus Versum *Justus ut palma*, et Antiphonam *Qui odit animam*; in secundis Vesperris Versum *Justus ut palma*, et Antiphonam *Qui vult venire*.

Pro Commemoratione S. Anacleti eadem Antiphonæ, et iidem Versus ad respectivas Horas ex eodem Communi deberent dici; ideo mutantur, et in primis Vesperris dicuntur Antiphona *Qui vult venire*, et Versus *Justus ut palma*, ex secundis Vesperris; in Laudibus Antiphona *Iste sanctus*, et Versus *Gloria et honore*, ex primis Vesperris; in secundis Vesperris sumitur Antiphona *Qui odit animam*, ex Laudibus, et quia Versus Laudum et secundarum Vesperrarum sunt iidem, sumitur Versus *Gloria et honore*, ex primis Vesperris.

Exceptio datur pro «casu, quo Commemoratio aliquius Sanctæ Virginis facienda sit in Festo alterius Virginis»; tunc enim in primis Vesperris pro Sancta Virginine, de qua agitur Commemoratio, Antiphona sumenda erit e Laudibus», quia Antiphona in Communi Virginum est eadem pro primis et secundis Vesperris, scilicet *Veni, sponsa Christi*. (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 8.)

Nulla in nostro Kalendario hujus exceptionis applicatio occurrere potest.

II. Quando Festum ad instar Simplicis recolendum Commemorationem in secundis Vesperris non habet eo

De Antiphonis et Versibus (Q. 206) 35^t

quod die sequenti, vel per accidens, vel perpetuo celebretur Festum duplex 1 classis, quod Commemorationem præcedentis Duplicis aut Semiduplicis non admittit (Q. 192, 1^o a), aut Festum duplex 2 classis, quod Commemorationem præcedentis Semiduplicis non admittit (Q. 192, 2^o a), tunc pro Commemoratione Festi ad instar Simplicis redacti fit quemadmodum pro Festo simplici (Q. 203), nempe: in primis Vesperris sumuntur Antiphona et Versus ex Laudibus, et in Laudibus ex primis Vesperris.

Idem dicendum est de Festo duplice vel semiduplici quod perpetuo redactum est ad ritum simplicem, et quod, sicut rescripsit S. Rituum Congregatio (Decret. 7 Decembris 1900, cfr. Q. 176, Nota III), considerari debet non ut simplificatum, sed ut simplex; unde non amplius ad tres, sed ad duas tantum Commemoraciones jus habet, in primis Vesperris nempe et in Laudibus. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 65.) Ut dictum fuit in Nota III ad Quæstionem 176, in Kalendario Diœcesis Mechliniensis nulla redigenda perpetuo sunt ad ritum simplicem Festa duplia aut semiduplicia.

Exemplum: Resumitur exemplum supra datum: si alicubi, die 14 Julii, Festum S. Bonaventuræ, Episcopi, Confessoris et Doctoris, celebraretur ritu duplice 1 vel 2 classis, in primis Vesperris hujus Festi non fieret Commemoratio S. Anacleti; ideo ibi in Officio S. Liberti, in primis Vesperris pro Commemoratione S. Anacleti sumerentur, non Antiphona et Versus ex secundis Vesperris, ut supra indicatum fuit, sed Antiphona *Qui odit animam*, et Versus *Justus ut palma*, ex Laudibus; in Laudibus vero fieret Commemoratio ut supra.

NOTA. In præcedentibus Quæstionibus agitur de identitate Antiphonarum et Versuum in Officio et Commemorationibus; identitas quoque dari potest in Orationibus dicendis, de quo casu dicit Rubrica: «Si autem occurrat, ut eadem sit Oratio Festi de quo fit Officium, et ejus de quo fit Commemoratio, mutetur Oratio pro Commemoratione in aliam de Communi.» (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 8.)

Itaque, si ex motivo translationis duo Sancti Doctores concurrerent, qui ambo habent Orationem *Deus,*